

vt sit vox virtutis, id est, vox potentissima, & efficacissima: quod fiet quando omnes mortui audient vocem filii Dei, & resurgent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem Iudicij. nulla enim vox potentior cogitari potest. Vox quidem virtutis fuit, quæ dixit, Adolescenti tibi dico surge; &, Lazare veni foras. Sed vox, quæ cineres omnium hominum ab initio Mundi defunctorum, subito formabit, animabit, excitabit, quātē tandem virtutis erit? Vox item maximæ virtutis erit, quæ dicet, Ite maledicti in ignem æternum; &, Venite benedicti, possidete paratum vobis Regnum; cui voci absque villa resistentia, vel retractatione respondebit effectus. Certè comparatione ad hanc vocem, omnia omnis Principum edicta, & imperia nullius virtutis existimanda sunt. Rectè igitur subiungit, Date gloriam Deo super Israel i.e. glorificate Deum super beneficia in electos eius collata. Omnia enim propter electos, inquit Apostolus. Magnificètia eius, & virtus eius in nubibus, id est, date gloriam Deo super Israel, quoniam magnificètia Dei, & potètia Dei manifestabitur maxima super Israel in nubibus cœli; quando videlicet, rapientur electi in nubibus obuiam Christo, & in ipsis nubibus erunt sedentes quasi in soliis cœlestibus, & sublimissimis omnes electi Dei à dextris, & à sinistris Iudicis omnipotentis. Quare exclamare licet, Mirabilis Deus in sanctis suis: tunc enim verè totus Mūdus intelliget, Deum in sanctis suis prouehendis ab imo ad summum, à summa humilitate ad summam, & celissimam gloriam, planè admirabilem fuisse: nam Deus Israel, Deus electi populi sui, tunc dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, cum electos suos vera immortalitate, & impassibilitate donabit. Neq; obstat, quòd in hebræo legatur, Mirabilis Deus in sanctuaris: ipsi enim sancti viri sunt verissima sanctuaria Dei; neque etiam quòd in hebræo sit in secunda persona, in sanctuaris tuis. Videtur enim errore scriptorum id accidisse. Nam non solum Septuaginta ver-

terunt in tertia persona, sed etiam sanctus Hieronymus vertit, sanctuario suo. Denique parum refert, quod in hebræo sit, Terribilis Deus, pro quo nos habemus, Mirabilis Deus: nam utrumque est verum, & una lectio explicat aliam: discimus enim ex lectione hebraica, Christū in die nouissimo fore mirabilem in sanctis suis, cum magno terrore impiorum: quamquam omnis admiratio terrorem quandam incutere solet. Cōcludit Propheta illis verbis, Benedictus Deus: id enim sequitur ex predictis in toto Psalmo, ut omnes Deum benedicere debeant, cum eius misericordia, & iustitia, potentia, & sapientia, ex tot mysteriis mirificè declarata sint.

P S A L M . LXVIII.

Titulus, & Argumentum.

In finem, pro ijs, qui commutabuntur Dauid.

DE hoc titulo dictum est in explicazione Psal. 44 quæ non sunt repetenda. Consentient ferè oes expositores veteres, ut Hilarius, Augustinus, Hieronymus: & recentiores, ut Genebrardus, Lansenius, Agellius, & alij, in hoc Psalmo predici passio- nem Christi planè ad literam, nec non eu- fisionem Iudeorum. & adificationem Ecclesie, que constat ex ijs, qui feliciter commuta- buntur de iniquitate ad iustitiam, & de mi- seria temporali ad gloriam sempiternam. V- nus est Theodoreus, quem sequitur Euthy- mius, qui psalmum exponendum censuit de captivitate Babylonica Iudeorum: sed beatus Augustinus constanter reprehendit eos, qui audient aliter exponere, quam Apostoli exponuerint. Apostoli enim de Christo predicta es- se affirmant illa, Qui oderunt me gratis, Ioan. 15. & illa, Zelus domus tua comedit me, Ioan. 2. item illa, Opprobriae exprobrantium tibi ce- ciderunt super me, Rom. 15. & illa, In siti mea potauerunt me aceto, Ioan. 19. & illa, Fiat habitatio eorum deserta, & non sit qui habi- tet in ea. Actor. 1.